



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 71. Hoc Scriptum ab Oratoribus latine redditum a Legatis traditum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.

A. C. 1562.

§. LXXI.

Hoc scriptum ab Oratoribus latine redditum, ac Legatis traditum.

*Lettre de
Lansac a
l' Eveque*

D'auxere

a l' Isle

Sept.

Mem. p. 296.

Pal' av. c. II.

n. 1. & 5.

Hoc idem scriptum Ferrerius Præses
Franciæ Orator latine reddidit, ut
illud Legatis tradi posset: prout etiam
id die vigesima secunda Septembris fa-
ctum fuisse Lansacus literis ad Anti-
stodorensem Episcopum, & Insulanum
Romæ Regis Oratores datis testabatur,
eisque hæc significabat: "cum hoc scri-
ptum tardius afferretur, Sessionis pro-
rogatio haud amplius impetrari potuit,
nihilominus legatis ea, quæ ibidem
continebantur, fuerunt prælecta, qui-
bus etiam a nobis significatum, quod
data Theologis disputandi, ac Præsu-
libus circa propositas de Ordine, &
Matrimonio quæstiones opinandi co-
pia, nullum amplius doctrinæ caput
examinandum superesset, ut proin Fran-
ciæ Præsules, cum jam omnia abso-
luta essent, incassum adventarent: ea-
propter rogavimus Legatos, ut
utriusque hujus Sacramenti examen
usque ad Mensis Novembris initium
differretur, aut saltem solum Ordinis
Sacramentum discuteretur: si vero
de utroque agere decrevissent, id ta-
men ea fieret ratione, quatenus alter-
natim Theologi per unam, vel duas
dies

"dies de dogmate disputarent, totidem- **Sæc. XVI.**
 "que temporis Patres Reformationi, ac **A.C. 1562.**
 "disciplinæ restaurationi sacrarent, quin
 "hæc ad Sessionis finem protraheretur,
 "prout alias factum, ut propterea nul-
 "lum superfuerit tempus, quo articuli
 "potuissent inspici, ac desuper deliberari.
 " (*) Insuper Legatos rogatum adivi-
 "mus, quatenus hos articulos, antequam
 "promulgarentur, prius nobis commu-
 "nicarent, ut eo facilius, quæ specia-
 "tim Franciæ Regno, ac generatim toti
 "Reipublicæ Christianæ juxta Regis no-
 "stri mandata (***) magis proficua
 "arbitrabimur, exponere valeremus:
 "verum ad hæc Legati responderunt,
 "quod nostra postulata seriam delibera-
 "tionem deposcerent, postea vero ipsi,
 "quantum fieri poterit, satisfacere
 "niterentur: præprimis autem duo Re-
 "giæ hujus epistolæ authographa petie-
 "runt,

(*) Perinde ac si hi articuli, antequam fue-
 rint promulgati, prius præsentibus omnibus,
 & singulis Patribus non fuissent rigide discussi,
 atque frequentissima desuper deliberatio habita.

(***) Quid universæ Christianæ Reipublicæ
 commodum sit, ab unius Nationis judicio,
 aut mandato dependere, nemo facile sibi per-
 suadebit, nullusque ab ea leges præscribi pa-
 tietur, cum quælibet Natio de legibus suo
 populo utilibus sibi prospicere possit.

Sæc. XVI. *runt, quæ etiam eis a nobis mox tra-*
 A.C. 1562. *ditæ, & abs dubio ad Pontificem trans-*
missa fuerunt, prout conjicere fas est.

§. LXXII.

*Quinqueecclesiensis Episcopi postulata
ad Legatos.*

*Pallav. l. 18.
c. II. n. 6.
Sarp. l. 7.
p. 569.*

Præter hæc Oratoris literas Quinqueecclesiensis Episcopus Ferdinandi Cæsaris epistolam proferebat, in qua significatum, Papam Oratori suo Romæ spondisse, quod Synodum urgere velit, quatenus plenam, atque integram morum emendationem procuraret. Dein hic Episcopus rursus instabat, ut vel Legati Synodo proponerent, aut saltem a Cæsareis proponi permitterent libellum, quem Cæsar ad eos misisset: postremo significabat, ad rem prospere conficiendam necesse fore, ut mutato Concilii ordine deinceps infraugia non pro capitum, sed Nationum numero recenserentur. Ad hæc reponebant Legati, quod ipsi, licet hæc postulata rationi consentanea non videantur, hac de re tamen inter se deliberare vellent, ut de singulis Cæsari responsum dare valerent: de cetero autem in hoc Imperatoris libello multa continerentur, quæ digna non forent, ut proponerentur, inter quæ præcipue hæc essent, ut hæretici Sacramenta administrare permit-